

PANEGYRICI

IN ANTVERPIAM

SIBI ET REGI OBSIDIONE

RESTITUTAM.

Per magnum illum atque inuictum
ALEXANDRUM FARNESIVM,
Parmæ ac Placentiæ Ducem, aurei velle-
ris equitem, & maximi inuictissimiq̃ue
PHILIPPI II. Hispaniarum Regis
Catholici apud Belgas præfectum,

Auctore Ioanne Bochio, eidem vrbi à Secretis.



ANTVERPIÆ,

Ex Officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij. 1587.

IN ANTVERPIAM
RESTITVTAM

PANEGYRICVS PRIOR.

Ad Serenissimum ALEXANDRUM
FARNESIVM, Parmæ & Pla-
centiæ Ducem.



*ENSIT Alexandrum pretio
vulgata tyrannis
Auspiciis pugnare Dei, victricia
regis*

*Arma, Philippeas aquilas, Martemq; secundam
Sensit, & imparibus didicit concurrere signis,
Vltima cum gemina tentauit prælia ripa.
Musa faue, liceatq; iugis, Farnesia proles,
Aonijs deferre nouo primordia vati
Custodita tibi, nostri tu carminis auctor,
Hortatorq;, ratem tumidis quo credidit undis
Calliope, vastosq; sinus tentauit, & aura
Vecta tua, meritisq; tuis animosa timorem
Deposuit: commota tuos aperire labores
Mens auet, auratisq; volans victoria pennis*

AD LECTOREM.

NESCIO quo pacto diuinare mihi videar, candide Lector, opusculi nostri iudices aliquos fore, qui, pro humana indole, studiosè nimis aut morosè labores alienos examinant. Erunt enim, ni fallor, qui tantillum poematum numerum, dum in iusti voluminis magnitudinem excreuisset, supprimendum censuissent; aut qui in tanta materiae, rerumque gestarum vbertate, multò altius, vel ab ipso belli exordio commendatissimi Principis laudes repetèdas iudicassent. Quibus ego vt satisfaciam, vel saltem respondeam, rationem aliquam reddendam putavi libelli huius quantulicunq; & instituti mei. Nam cum post Antuerpianam restitutam, Serenissimi Principis Farnesij patrocinio ad amplissimi eiusdem vr-
bis Senatus publicum munus obeundum destina-
rer, cœpi mecum cogitare, quid potissimum tanto fautori ac patrono meo, totiusque Belgij benefa-
ctori optimè merito, & publicæ libertatis vindici,
redemptoriquè ceu *λύτρον* grati animi testimonium præstarem atque persoluerem. Nec aliud certè mihi tum succurrebat, quàm pro exiguis ingenij viribus, præconium aliquod fortissimo Heroi dedicandum meditari. Sed cum & rei dignitas & venæ meæ tenuitas, in ipso statim operis limine suspen-
sum deterrent, non antè fui ausus in cœptis meis progredi, quàm cum ipsius Principis singularis pie-
tas & modestia, quibus omnes sibi demeretur, animū meum confirmassent, nec mihi cum Macedone illo plus satis delicato, qui à solo Apelle depingi volebat,
nego-